

sponte veniet in animos vestros incredibile quoddam  
 omnis virtutis studium: haec virtutis exercitatio vo-  
 bis omnium bonorum fauorem, in primisque dei  
 beniuolentiam, conciliabit: haec beniuolentiae di-  
 vinae conscientia otium animis vestris perpetuum,  
 pacem liquidam, praestabit, qua censetur eius felici-  
 tatis summa, ad quam omnes tendere videmus,  
 paucissimos peruenire miramur.

VIII. Quod vt intellexeretis planius, vobisque  
 persuaderetis firmiter, vos neque proximo anno vlla  
 re alia posse perfectam absolutamque felicitatem  
 consequi, quam sapientiae et virtutis studio: iussimus  
 Commilitonem vestrum, IOH. GOTLOB MAE-  
 NELIVM, Limbaco Nariscum, Adulescentem sa-  
 pientiae cupidissimum et virtutis studiosissimum, cras  
 Oratiuncula Latina docere, *sapientiam et virtutem  
 esse solas hominum diuitias, graui hoc suauique nomine  
 dignas.* Cui familiae vestrae principis Orationi non  
 solum intereritis frequentes, sed ab auditione eius  
 ita discedetis, vt in ore semper habeatis posthaec fan-  
 ctissimam illam Solonis vocem, qua sibi barbarus  
 virtutis grauem plenamque maiestatem, aliis pecu-  
 niae splendorem inanem et leuem, relinqui iubebat;  
 vt in pectore gestetis pulcherrimam illam Socratis  
 morientis imaginem, qui iudices, quorum sententiis  
 damnatus erat, vehementer rogabat atque adeo ora-  
 bat, vt, si viderent, filios suos pecuniae cupidiores  
 esse, quam sapientiae et virtutis, hanc eorum per-  
 uersitatem corrigerent, huic eorum stultitiae ita suc-  
 currerent, vt eos admonerent grauitate, vt in viam  
 redirent, virtutemque et sapientiam anteponerent  
 rebus omnibus. Et profecto auri amor, pecuniae  
 fitis,